

III.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 54.

---

*Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysium-Meum.—Die Veneris 11 Aug. 1809. (Neov. 7. Jul. 1809.)

---

Coeli enarrant gloriam Dei  
Et Haydn — cecinit.

---

*Josephus Haydn — non in Campis Elysiis —  
in Coelis: (natus 1730. denatus 31 Maji  
1809.)*

**J**osephus Haydn vitali hac aura excessit —  
providum Numen novissimam usque delicio-  
si mensis lucem virum servaverat, qui vavi  
sonorum musicorum concentu suo deliciis  
animos replevit.

Vix beata anima superas ad auras evo-  
lavit, continuo poetici juxta & coelestes ge-  
nii eam excepturi advoiarunt. Musæ Parnas-  
so, Elysi incolae oris suis, Seraphini & Che-  
rubini Coelis excesserunt, ad occurrendum  
præconi *Creationis*, eumque sedibus suis in-  
ferendum — quam amæna contentio genios in-  
ter Deosque!

Implacabili Minoi lis dirimenda erat; Ge-  
nius, studii partium expertus, vitam meritaque  
harmonicæ umbræ recitaverat.

*Conticuere omnes, intentique ora tenebant—  
„Pater Haydenii, pauper ignobilisque  
carpentarius Rohraviae vico in confiniis Au-*

strisæ versus Hungariam, in sua peregrinatione Francofurti ad Moenum Cytharæ cantum didicit, quam diebus Domini pulsare, uxor cantu prosequi, fallendi temporis gratia, solebat. (adhuc grandævus Haydn cuncta hæc carmina memoria tenebat.) Quintum ætatis annum agens *Iosephulus* noster, cum parentibus assideret, ligni frustillum dextra manu adprehendens, eo lævum brachium terebat quasi fides lusurus. Magister ludi ex proxima urbecula *Hainburgo*, cognatione quadam Haydnio conjunctus, forte ad id genus lusum musicum adveniens, animadvertit *Iosephulum* lusum ad numerum exigere, hoc ei bonum omen videri, svasitque patri, ut puerum musicæ destinaret; pater, magnus cultor sacerdotii, nihil ardentius precatus: quam ut filii sui ecclesiastico statui se devoteant, ad quem disciplina Musices viam præstruit, verum artibus in rerum adjunctis suis nihil prolium suarum educationi impendere ei licuit, quo magis ad votum accidit: quod ludi rector *Hainburgi* sexennem *Iosephulum* in domum scholarumque suam receperit. In hac ille prima litterarum elementa religionisque principia hausit, una ad canendum, fidibus ludendum & tympana pulsandum adstringebatur, hujus viri manibus bene etiam precatus sæpe in sermone, quod tam multiplici eum disciplinæ admoverit, quamquam plus verberum, quam cibi acceperit. *Haydnus* in hac urbe biennium exegit, cum aulicæ Capellæ magister *Reiter*, qui musices uia di-

rector Ecclesiae S. Stephani Vindobonae erat,  
 amicam suam Hainburgi, Decanum Ecclesiae,  
 inuisisset; cui forte in sermone declarabat:  
 sibi veterem Chori pubem, quod voce defi-  
 ceret, dimitteudam esse, aliamque quæren-  
 dam; Decanus octennem proponit Haydnium,  
 jubet eum acciri cum ludi magistro, adest  
 ille, pro more illius ætatis capillitio brevi,  
 munditiei gratis, tectus, cæterum habitus ejus  
 squalidus, ut ipse *parvum Erinaceum fuisse*  
*se*, dicere solitus ait. Mensæ tum imposita  
 erant Cerasa, a quibus, parce nutritus *Io-*  
*sephulus* oculos non avertit, *Reiter* animad-  
 vertens aliquot volas pileo imposuit, petiit-  
 que aliquot latina italicaque cantari carmina,  
 quorum sensum octennis puer non intellexit;  
 videbatur hoc specimine *Reiterus* contentus,  
 quæsitique ex puero: an & tremula voce  
 decantare sciret? hoc neque Dominium Co-  
 gnatum suum scire reponerat audaculus pu-  
 er, ludi magister rubore suffusus adstitit, *Rei-*  
*ter* risum continere non potuit, mox ratio-  
 nem linguam dentibus applicandi ad tremu-  
 lam vocem edeudam monstravit, aliaque ar-  
 tificia, que imperterrite ille imitatus, succes-  
 sitque tentamen tertium, quod admirans  
 doctus examinador absque mora puerum in-  
 ter suos adoptavit, quo factum: ut *Iocephus*  
 octo annis Chori alumnus in Ecclesia S. Ste-  
 phani Viennæ fieret, in hac ille statione ad-  
 modum praeclaris magistris operam dabat,  
 ab his in Cantu, diversis musicalibus Instru-  
 mentis, & in theoretica quoque Musicoes par-

te eruditus; multos quoque praeclaros magistros audiendi occasionem habuit, propriumque ingenium ejus tantopere jam fervebat, ut octo, imo sedecim vocibus constans opus musicum elaborandum susciperet, „*Equidem existimaveram eorum rem praeclaram esse, modo charta bene densis signis oppleta esset,* Reiter saepenumero praeposterum, & immaturum hanc ingeni foetum acriter perstringebat, execratus: me 16 vocibus constans musicum opus elaborare, qui neque duabus vocibus constanti par sum.”

Anno sexto decimo aetatis ob fractam vocem dimissionem a munere in Ecclesia S. Stephani nactus, diu per continuos annos angusta fortuna usus, vitae tolerandae mediae Viennae procurare coactus est. Habitabat in sexta aedium contignatione, infra tectum in Cubiculo, foco, fenestri-que destituto, hyeme halitus in glaciem conversus super tegumento, aquaque, quam mane lavandi gratia e fonte adferebat, pertingens regionem sublimiorem, saepe in crustam glaciale[m] versa est. Dabat institutiones domatim, ludebat in orchestris, cupide arripiens quamvis aliquid promerendi occasionem. Paupertatis ejus ratio a consuetudine hominum eum arcebat, unamque felicitatem reperit, dum vetusto a vermicibus corroso Clavicordio vacare potuit. Huic assidens, strenuo opera musica elaborabat, ingenio continuo urgente. Herula *Martini* celebri *Metastasio* juncta, ejus opera utebatur, quam in cantu & puisando Clavi-

cordio erudiebat; in cuius vicem visu per triennium exceptus; postmodum ad suburbanum se recipere coactus est.

In his adjunctis annuo 60 florenorum stipendio apud Fratres Misericordiae antistes Chori creatus. Apud hos diebus Dominifectisque hora 8va divinis adesse obligabatur; hora 10ma pulsabat organum in Sacello Comitum *Haugwitz*, & jam hora 11a canendum habuit in Ecclesia ad S. Stephanum. Id genus servitii divini uno *Mariano*, id est: septemdecim Crucigeris redimebatur. Oh! quam multi milleni simili oneri succumberent!

Italiam nunquam attigit *Haydnus*, quod si haec ei fortuna obtigisset, profecto optimis imbutus principibus in cantu, & musica instrumentali, in ratione auctoris magnum nomen adeptus fuisset. — Interim loquebatur sat promte italicam, fassus ultro: se plurimum debere Italico Musico, cui nomen *Porpora*, cui trimestri pene spatio ceu vulgaris famulus ad obsequia fuit, non alia de causa, quam ut ab eo doceretur. Hic *Porpora* matronam quamdam instituebat in cantu, in quo *Haydnus* comitem agebat in clavicordio, a quo nonnunquam opera sua corrigi petiit.

Hac se ratione excoluit vir, cuius soni quasvis Europae Orchestras resonabant, vir, qui medio seculo, gloria continuo crescente, artem suam perfectiorem fecit, qui in celeberrima externa Instituta suis adnumerare membris gloriae duxerunt, cuius honoribus foris numi memoriales cusi sunt! —

*Haydn*us mediocres reliquit facultates; quas duplici potissimum itinere, in Angliam, ubi opera ejus bene solvebantur, sibi acquisivit, & magno studio tuebatur; habebat in suburbano sat ab urbe remoto, Viennæ modicas ædes cum horto. Erat viduus — in Cultu corporis profecta etiam ætate simplicitas vigebat cum diligentia. Staturæ erat mediocris, lineamenta non exellebant, indicabant nihilominus quamdam animi tranquillitatem, qua animos facile sibi divinxit. *Cel. Mozart* eum per magis fecit, maximæque voluptati ei fuit, quod filius percelebris hujus vii eum adiverit. Longiore tempore immorari animorum remissioni profectione ætate non potuit. neque occupationes graviores perfererebat, nihilominus anno adhuc 1805 minori *Missa*, quam anno 1742 qua *Choralis* alumnus elaborabat, quæque fortuito in manus ejus incidit, musicam adjunxit; procul dubio, ut novissimo, & probabiliter extremo hoc opere, fautori suo *Principi Eszterházy* grati animi sui monumentum edat.

Secundum autographum *Indicem Mille quadringenta undecim* varii generis & nominis opera musicalia edidit, quantum opus ab uno homine!

Et — agebat tandem *Cherubinus* — *Cœli enarrant gloriam DEI* — *Haydn*us eam cantabat. —

Post hæc *Minos* hanc pronunciabat sententiam „*Creationis præco ab auctore creationis præmio afficiatur.*“ Nos decantamus

laudes altissimi, dicebant Seraphini, nos ejus manes nobis vindicamus" Et ecce! eos ambiunt, Coelisque inferunt! universus angelorum Chorus Creationem concinebat; manes Haydnii eum moderabantur, Sancti accinuerunt, & animam Clarissimi viri Angelorum in septem Choris principem convertere, qui laudem Dei celebrant.

Elysi Musæque inanes decedere deberant. Coeleste melos, e Coelis solum resonare potuit. *Coeli enarrant gloriam DEI & Haydnus decantabat eam.*

Ah! utinam concordia politica æque adjuncta intercederet! — Bellum durat acutum & atrox, totam Europam inundans bellum —

Cassela de 1. Julio hæc leguntur.

Heri Sua Maj. 9 hora solennem Dresdam ingressum habuit. Turma præcedens Saxonibus & Vestphalis constans sub Imperio Saxonici Coloælli Thilemann.

Hesterno vespere hostem urbe exegit, qui ad Pirnam castra metaturus se recepit. Copiæ excubiæque nostræ & istinde discessisse referunt.

Ratio amoris & gaudii, quam Incolæ hac occasione Principi exhibuere nequit sat celebrari.

Sua Majestas Principem Philippothal Prostatem suum, qui venatorum Equestri turmae præibat, Præfectum urbis denominavit.

Nuncius militaris die 2. hujus Lincio Nimphoburgum veniens retulit Duce[m] Wrede

mandata percepisse suo cum agmine e vestigio Vindobonam versus procedendi, quo 5. pertigit. Jussum hoc, in combinatione aliorum adjunctorum gravissima imminere, indicare videtur.

Interea praelium minus ex averso exercituum multas vexas generat. Tyrolenses praecipue acriter se defendunt. Seditiosi Brigentini audito Wittenberg. Flotillam arinis exutam cum 450 viris Constantiam trajecere. Copias M. Ducis ibi obruentes 40 eorum cepere. Inter hæc Colonelli Stockhorn agmen ad speciem adorti, ubique facili opere rejecti, hac excitata attentione, in principio agminis a meridie cum Captivis binisque ad Civitatem pertinentibus ferreis mortariis Brigentium prius repetiere, quam expeditæ copiae eos assequi potuerint.

Rex Wittenberg cum agmine Tyrolim versus progressus est.

---

Cum Neovidensis, qui a 4 mensibus emanserat, rursus compareat, etsi non accurate; nos, quaecunque per adjuncta temporum licuerit edere, in omnes cum BB. Lectoribus communicaturi sumus.